

Dissertatio medica inauguralis, de salivatione in variolis ... / [Josva van der Noot].

Contributors

Noot, Josva van der.
Universiteit van Harderwijk.

Publication/Creation

Hardervici : Typis Everardi Tyhoff, [1800]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dfgywshh>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

15
DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,
DE
SALIVATIONE IN VARIOLIS,
QUAM
ADNVENTE SUMMO NUMINE

Ex Auctoritate Rectoris Magnifici

IOANNIS MELCHIORIS KEMPER

IUR. VTR. DOCTORIS IURISQUE NATURAE ET
CIVILIS PROFESSORIS ORDINARIJ,

nec non

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu
et

Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto
PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus et Privilegiis
rite ac legitime consequendis

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

IOSVA VANDER NOOT,
ROTTERODAMENSIS.

Die iv. Julii MDCCC.



HARDERVICKI,
Typis Everardi Tyhoff, Academiae Typographi.

SALVATIONE IN VARIIS

IOANNIS MELCHIORIS KEMPER



IOSEPH VANDERNOOT

JOHN VAN DER NOOT

PATRI OPTIMO

IOANNI. VAN. DER. NOOT

PIVS. FILIVS

PATRI OPTIMO

IOANNI VAN DER NOOT

PIVS FILIVS

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
SALIVATIONE IN
VARIOLIS.

INTRODUCTIO.

Non bruta homo machina est, quae injurias a rebus, noxiis sibi illatas, iners excipiat ac patiatur: sic jure meritoque scribit Pathologus (a). Praeterquam enim, quod Mens quae intus est, molestiis ex morbo sibi natis, exagitata, anxia, quas habet in corpus agendi vires, intendit ad repellendum hostem, corpus ipsum sua, et singulari quidem, praeditum est incitatione, quae

(a) GAUBIUS *Path. Institut.* §. XCIX.

quae moderata quidem in fanis, acrius insurgit praesente malo incitata, ut morbi insultibus sese opponat; consensus insuper hic datur, stupenda ac mutua partium conspiratio, qua uti unum aliquod constituunt, idemque integrum, collatâ quaeque sua symbolâ, conservare nituntur; ita cum earum alicui noxa imminet, aliae, nec raro omnes, junctis viribus, laboranti succurrunt, communem in privata cujusque, et propriam in sociarum salute propugnantes.

Hoc ex fonte profluunt Naturae activae molimina pasim in morbis, genus humanum infestantibus obvia, quibus causis eorum non modo resistit, sed cum his singulari modo etiam saepe congreditur, initoque conflictu vim vi opponit Natura humana.

Plurima huc spectantia Naturae conamina observamus in morbo exanthematico singulari, Graecis incognito medicis, primum vero ab Arabibus descripto, qui, uti communis fert sententia, in Aegypto, atque interioribus Arabiae locis primum exortus, a Saracenis in Europam sub finem seculi XI. et principium XII. perlatus fuit (b), variolosa namque febre, quae nunc sporadice, nunc e-

pide-

(b) V. MEAD de Variolis et morbill. Cap. I.

pidemice per populum benigne, vehementius imo vera aliquando malignitate grassatur.


Inter illa praeprimis conamina memoranda venit *Salivatio*, quae, teste HAENIO (c), in adultis multis in Epidemiis confluentes variolas concomitatur, in nonnullis minus frequenter, in quibusdam rarius. Quin graves, uti addit, Discretas aliquando salivatio haec comitatur, imo nonnunquam ipsam febrim Variolosam, sine variolis. In causa hujus salivationis, ejusque vera indole determinanda non conveniunt auctores, dum alii eam evacuationem criticam, alii eandem symptomaticam mere declararint.

Cogitanti jam mihi de Themate inaugurali elaborando arrisit hujus quaestionis examen, inque hac disceptatione brevibus absolvenda ita procedam, ut, tradita succincta, organorum salivae secretioni fervientium descriptione, examinatisque conditionibus, quibus eorum actio intendatur, directe inquiram in probabiles uberioris salivae secretionis causas, saeviente in corpore variolosi miasmatis efficacia; perpendamque simul usum, atque efficaciam illius evacuationis in minuenda febris variolosae vehementia,

(c) *Thef. fist. febr. divis.* p. 97.

tia, et ex illis disputatis sponte profluentem conclusio-
nem ultimo loco subjungam.

Ne interim Amice Lector! si quem invenerim, ne
nova hic atque inaudita exspectes velim: quid enim juve-
nenis ego, et in Medentium castris tyro, in determinanda
difficili hac atque spinosa quaestione, quae summorum
practicorum exercuit ingenia praestare poterim, ad quam
dijudicandam nemo sufficit nisi qui Naturae activae opera-
tiones generatim, et speciatim ejus agendi virtutem in fe-
bre variolosa obviam frequenti aegrotantium observatione
habeat perspectam. Quae proponam praecipue debeo
optimorum hac in Academia Praeceptorum institutionibus,
praelectionibus praecipue Clarissimi FORSTEN, Promo-
toris exoptatissimi, mihi praeprimis ob innumera in
me collata beneficia ad ultimum vitae halitum pie colen-
di, qui nuperius adhuc, duce STOLLIO, variolosae
febris Historiam suis Auditoribus tradidit atque enuclea-
vit: gaudebo, si debite exaratam a me hanc judicave-
ris quaestionem.



§. I.

Ad succum salivalem, utilissimum in oeconomia animali humorem, praeparandum speciali utitur Natura apparatu: plurimae namque sunt glandulae, conglomerati ordinis, id est, ex pluribus glandulis minoribus compositae, et communi ductu excretorio instructae, fabricae quidem convenientes, et iisdem usibus dicatae, sed situ diversissimae, hinc varie denominatae.

Principem inter has tenent locum Parotides duae, quae cavam sedem a latere capitis utrinque inter processum mastoideum et angulum maxillae inferioris occupant, anteriùs ad masseterem muscolum, superiore vero parte ad processum zygomaticum usque sese extendunt. Quaeque sua habet vasa, tam arteriosa, quam venosa: quae sanguinem adducunt arteriae multae, sed parvae, ab arteria temporali, quam transmittit et velat, et a transversa faciei dicta arteria surgunt, cruorem revehentes venae ad congenere tendunt truncos. Quaevis parotis conspicuum admodum habet ductum a NICOLAO STENONE denominatum, qui ex parte infima glandulae natus, sub initium sursum nonnihil adscendit, tum vero transverso decursu antrorsum fertur supra faciem externam masseteris muscoli, deinde ab interioribus descendit, muscolum buccinatorem perforat, ac inter glandulas

buccales super dentem molarem superiorem secundum inter et tertium in os hiat.

§. II. Secundo loco memorandae veniunt glandulae submaxillares dictae, ab utroque latere una sub musculo mylohyoideo et ceratoglosso jacet, cute tecta. Hae arterias habent a labiali, submentali atque sublinguali arteria, venas mittunt ad truncos fodales, lingualem et labialem. Submaxillarium quaevis ductum habet suum excretorium a WARTHONO denominatum, qui decurrit inter musculos sublinguales, et a latere frenuli linguae aperitur.

§. III. Tertio demum excitandae mihi sunt glandulae sublinguales, quae sub lingua inter faciem internam maxillae inferioris et linguam, musculo mylohyoideo incumbentes, delitescunt. Plurimis ductulis, a RIVINO denominatis, quindecim, aliquando viginti, a lateribus linguae hiant, aliquando cum ductu Warthoniano communicantes.

Praeter memoratos hosce praecipuos salivae fontes, congeries adhuc adest parvarum glandularum, quae buccalium, labialium et molarium nomine ab anatomicis describuntur (d).

§. IV.

(d) Vid. de his omnibus HALLER. *Element. Physiol.* T. VI. p. 41—50.

§. IV. His organis, singulari fabrica instructis, speciosaque agendi virtute dotatis tantam praeparat, fecernitque Natura sana salivae copiam, quanta requiritur ad lubricam laxamque servandam oris, fauciumque superficiem internam, ad asumptorum, esculentorum potulentorumve subactionem, in ventriculo promovendam. Imo singularem hanc proinde Natura dedit sympathiam atque conspirationem linguam inter et glandulas, ut ipse bolus, saliva humectandus, suo stimulo uberiores salivae affluxum suscitet.

§. V. Haecce salivae secretio, atque excretio, diversis intendi potest conditionibus, et adaugeri: hic incensum veniunt non tantum privatae, sed etiam universales magis potentiae, quas breviter enumerabo.

Secretiones generatim in machina nostra vivente promoventur universi sanguinis auctiori impetu; egregie hoc apparet in perspirationis augmento et sudoris eruptione, ubi, quacunque de causa, rapidiore motu circumvehatur sanguis, et nulla interim, aut a spasma, aut ab obstructione, aut a crasi sanguinis vitiata oriunda adsint impedimenta. Praeprimis vero uberius secretio et excretio est revocanda ab aucta vaforum, singulis organis fecernentibus dicatorum, actione, varia de causa excitata. Huc spectant:

- I. in universum stimulantia, five haec directe ad organum aliquod fecernens fuerint applicata, five in sanguinem recepta, mediante illo humore organo fuerint

rint admota, quibus alia prae aliis adficiuntur organa. Hoc modo acre quodvis mechanicum aequam chemicum in oculum illapsum lachrymationem producit; argentum virum salivationem; medicamenta sic dicta diurhetica urinae secretionem promonent, augent.

II. Stimulantia quaecunque ductibus excernentibus applicata hoc titulo sunt celebranda. Sic acriora esculenta vel potulenta salivam cient, fortius stimulantia ad duodenum delata fel movent, fuctio uberiores lactis secretionem producit: Imo potens adeo hicce stimulus mammae applicatus, ut in virgine suscitaverit lactis secretionem, vel reproduxerit illius praeparationem per septennium sufflaminatam (e).

III. Stimulantibus hisce accensenda quoque, quae universum hominem mire adeo afficiunt, et concutiunt saepe, animi sic dicta pathemata, quorum efficacia aliae secretiones intenduntur manifesto, aliae e contrario diminuuntur. Sic lachrymae moerore, fel ira copiosius solito fecernuntur, dum in utroque casu fauces exarescant, ob praepeditam glandularum oris, vasorumque exhalantium actionem. Sic esurienti conspectus vel odoratus grati ferculi majorem suscitatur salivae

(e) Cf. Amicisf. J. OTTEN'S *Disf. de Lufibus Naturae Naturam illuftrantibus* p. 39.

livae in os influxum, imo impetu singulari hiece liquor de ductulis praecipue Rivinianis Warthonianisque tunc serumpit. Quae de vis venereae sensilem hominem afficientis atque agitantis efficacia in promovenda feminis secretione et excretionem proponi possent, lubens mitto.

IV. Inter potentias secretionis negotium generatim intendentes, jure itidem commemorari poterunt Temperamentorum, Sexus, Aetatis, atque vitae generis diversitates, plurimaeque aliae singulis hominibus privatae conditiones: hinc aliis os naturaliter saliva abundat, aliis pedes manusve semper sudore madent, in aliis abundantia bilis observatur.

V. Denique huc revocandum destructum Naturae aequilibrium, quod in statu sano obtinet inter diversa organa secretionibus destinata: ita ut quodvis suam determinatam secernat, excernatque, copiam. Destructo hoc aequilibrio, subpressa, vel nimium diminuta secretionem et excretionem una, impetu majori humorum vis ruit in partem aliam, ibique hoc pacto, fuscitata uberiore eliminatione tentat Natura aequilibrium restituere, vel saltem imminuentia ex eo destructo mala avertere, aut lenire. Quotidie illud Naturae actuosae conamen singulare observare licet in cutis functione harmonice conspirante cum alvi exoneratione: quo enim copiosior perspirabilis materiae aut sudoris eliminatio, eo rarior sicciorque al-

vus, quo minor e contrario, eo copiosior, eo laxior alvus, hinc suo jam tempore HIPPOCRATES „cuius si fuerit laxa, alvus stricta:” idemque alio loco de simili conspiratione alvi inter et urinae viam meminit, „Mictio (scribit) noctu multa continens, parvam dejectionem significat” (f). Singularis hicce Naturae humanae, in aequilibrio excernendorum fervando nifus magis adhuc apparet, si deficiat plenarie haec aut illa excretio necessaria: aliis tunc organis secretoriis et excretoriis non tantum major eliminatur humorum copia, sed et expelluntur iidem qualitate a statu sano multum ablucentes: sic, ut ex multis huc spectantibus observatis, unum alterumve casum feligam, pertinacissimam Ischuriam a calculo natam observavit N. PISO, cui se adjunxit sudor per plures dies continuus atque copiosus „corpus universum (scribit) jam ante per plusculos dies uvidum spectabili continuoque coepit diffuere: sudore, et tam insuavi et olido, ut vix ferremus presentiam aegrotantis” (g). Urinae itidem redolentis materiae perspirabilis casum notavit MORGAGNIUS (h): WALLE-

(f) Aphor. 83. Sect. IV.

(g) Selectior. Obs. et consil. Lib. singular. ed. BOERHAVIO Sect. IV. Cap. VI. Obs. 127.

(h) De Sed. et Caus. Morborum II, p. 150.

RIUS (1), succum salivalem urinoso sapore imbutum meminit.

VI. Ultimo loco inter conditiones, secretiones et excretiones incitantes referri possunt nonnulli morbi, quorum efficacia nunc in urinae viis, nunc in cute, nunc in aliis partibus admodum visibilis. Morbos huc praeprimis spectare spasmodicos docet auctior urinae secretio in Hypochondriacis et Hystericis, sudor in ultimo febris stadio, etc.

Memoratis hisce, generatim universum systema secretorium afficientibus, potentiis, quibus ejusdem operatio poterit intendi, brevibus nunc commemorabo conditiones, quae salivam praeprimis movere, et hujus secretionem incitare, valent: quarumque efficacia ex propositis hucusque facile intelligi poterit.

§. VI. Salivae excretionem incitat non tantum.

I. Alterna glandularum pressio ab adjacentibus partibus musculosis, aliisque repetenda, uti in manducatione et loquela exercitio, qua pressione memorata organa emulgentur quasi, sed:

II. Stimulantia ad linguam faucesque applicata adeo ductulorum salivalium agilitatem exfuscitant, ut longe copiosior reddatur salivae excretio. Hinc in dentitione solenne phaenomenon uberior salivatio: hinc aromata
fer-

(1) Acta Suecic. 1737.

fervida, Caryophylli, radices Ari, Galangae Imperatoriae, Pyrethrique, Staphisagriae et Sabadillae femina, Tabaci fumus ore haustus; Antiscorbutica acria, Lepidium, Cochlearia, Nasturtium, similiaque salivae excretionem mirifice augent, et saepenumero cum fructu exhibentur forma collutorii, aut masticatorii in defluxionibus aquosis, catarrhosis, partes oris afficientibus, in odontalgia ferosa, et ab his levamen percipiunt aegroti, dum magna copia salivae proliciatur, exspuaturque.

III. Augetur etiam salivae secretio atque intenditur jejunio protractiori, tumque non tantum copia, sed et qualitate a consueto recedit statu. Sic retulit de se ipso Illustris olim Vir L. B. DE TSCHIRNHAUSEN (k), quum olim jejunium in tertium usque diem protraxisset, tantam sibi salivae copiam fuc crevisse, ut dentes solito minus stabiles viderentur, ejusque acrimonia palato non parum doloris inferret, tantamque se in mandendo difficultatem et dolorem sensisse, ut cibos in minima frustula dissecare cogeretur.

IV. Salivae excretionem augent quaecunque systema irritabile atque nerveum singulari modo afficiunt, sive stimulus ab animi pathemate sit revocandus, sive a materia lacri ventriculum ipsum vicinasque partes vellicante, hinc in anorexia, nausea et vomitu-

(k) In Libro de Med. Ment. et Corp. P. II. p. 23.

turitione uberior salivae excretio; hinc ab antimoniatis solventibus ingestis idem phenomenon.

V. Hisce itidem accensenda sunt, quaecunque sanguinis congestionem, atque vasorum oppletionem in organis salivalibus producere valent; hinc ligatis in cane venis jugularibus copiosa adeo salivatio observatur ac si a mercurio ingesto esset revocanda; hinc in melancholicis copiosa salivae excretio, si ex oppletionem et infarctu viscerum abdominalium oriatur morbus; in anginosi ob fauces et per consequens glandulas salivales sanguine distentissimas.

Hunc in censum itidem veniunt sialagoga, sic dicta a speciali sua agendi virtute, remedia, e quibus sufficiet unicum excitasse Mercurium, quo remedio, quacunque demum via ad sanguinem delato, copiosissimum salivae profluvium excitare poterit Medicus.

Denique inter speciales salivam moventes causas referre possumus diversos morbos, morbosasque affectiones, sanitatis aequilibrium turbantes. Sic teste DOLEO Acidum morbosum (l); Cruditas ventriculi et intestinorum (m); Nausea, notante jam HIPPOCRATE (n); Vermes et maxime Taenia (o).

VI. Imo

(l) *Encyclop. Chirurg.* I. 20 sq.

(m) DE GORTER *Prax.* Tom. 2. Lib. I. §. CIII.

(n) *Coac.* §. IV.

(o) LIEBTAUD *Precis* Tom. II. Sect. II. WEBER *Disf. de sign. et*
sign. Cap. III.

VI. Imo saepius observarunt clinici judicatos fuisse, et devictos, morbos, copiosa salivae excretionem oborta.

Notabilem morborum numerum, qui salivae fluxione judicari solent, excitavit GRUNER (p); casum arthritidis in septuagenario salivatione solutae retulit J. A. HUNERWOLFF (q); in Phthysi, artis conaminibus pro dolor! plerumque majori, critica et salutaris aliquando salivatio fuit, ut exemplo probat J. P. WURSTBAIN (r). In capitis dolore, Odontalgia, Gravi auditu salivationem criticam saepe levamen tulisse affirmat A. NUCK (s); Vertiginem Pryalismo spontaneo et critico solutam memoravit N. BLYGNI (t). Tinnitum aurium salivatione critica solutum legimus (u), ubi virum magni nominis literatum se novisse scribit JOH. BURGIIUS, cui tinnitus aurium, quo saepius infestabatur non nisi ptyalismo spontaneo discutiebatur. Post sanguinis sputum salivae largam excretionem salutarem annotavit A. NUCK (v) in viro literato, cui postquam per aliquot dies sanguinis uncias tres quatuorve tusiendo reddidisset, sexies-

(p) *Semesistica Pathol.* §. MDCCXXI.

(q) *Misc. N. C. Dec. 2. Ann. 9. Obs.* 102.

(r) *Misc. N. C. Dec. 2. Ann. 1. Obs.* 122.

(s) *Sialograph.* C. II.

(t) *Zodiac. med. Gallie. Ann. 1. Mens. Octobr. Obs.* 7.

(u) *Misc. N. Cur. Dec. 2. Ann. 3. Obs.* 173.

(v) *L. C.*

sexiesve aut pluries modo in brachio, modo in pede vel manu secta vena fuisset, sanguinis sputum quidem cessavit, sed salivae secretio sputum hoc sanguineum subsecuta est tam copiosa, ut per quatuordecim circiter dies quotidie uncias triginta sex, sive pintam unam cum dimidia salivando redderet, quod quidem aegrotum multum debilitavit, attamen ab imminente periculosissimoque effectum fere liberavit.

Huc referre poteris singularem observationem c. r. BIERLINGII (w), qua constitit per odorem salivam in motum et excretionem praeternaturalem agi posse; de nobili namque hic refert foemina, quippe quae ab aliquot virginibus, nobilitate claris, in puerperio visitata fuit quarum crines pulvere de Cypro odoratisimo ad albedinem usque conspersi erant; qui odor puerperae tam abominabilis fuit, ut statim exinde in atrocissimos capitis dolores, cum insigni ptyalismo lapsa sit.

Memoratis hisce per salivationem spontaneam iudicatis morbis ultimo adjungam J. LANZONI observationem (x), de muliere quadam quadragenaria, quae diuturno fluore albo laborabat, et post multa remedia

(w) *Adv. Curios. Cent. 1. Obs. 54.*

(x) *Misc. N. C. Dec 3. Ann. 9. et 10. Obs. 180.*

remedia frustra tentata, demum salivatione magna, sponte orta, protinus liberabatur.

§. VII. Quae tot tamque diversis fuscitari potest conditionibus salivatio, quae, uti vidimus ultimo loco, in diversis morbis felici adeo cum eventu operante Natura fuscitatur salivae uberior excretio, ea in variolosa febre satis solennis, et praeprimis quidem in Variolis Confluentibus.

Egregius Naturae Observator TH. SYDENHAM, Practicus genuinus, et classicus de febre variolosa auctor, postquam descripserat papularum variolosarum eruptionem, et illud naturae conamen concomitantia phaenomena, addit, „Sunt vero et alia symptomata duo, „quae variolis confluentibus accidunt, haud minoris „momenti, quam vel pustulae ipsae, vel tumor, vel „aliud quodlibet e praedictis, *salivatio* nempe in adultis, atque in infantibus diarrhoea. Horum prius „ita se perpetuo comitem adjungit, ut unicum tantum „viderim variolis confluentibus laborantem, nulla superveniente salivatione” (y). Dicta haec salivatio praeprimis in variolis confluentibus obvia, in discretis, sic dictis, tamen etiam, rarius licet, observatur uti practiceorum monumenta ostendunt. Vario morbi tempore sese

(y) Op. omn. Edit. Leyd. 1726. p. 137—38. Sect. III. C. II.

sese manifestat uberior haec salivae excretio; „dicta”
 scribit SYDENHAM, „salivatio nonnunquam sub primum
 „eruptionis tempus se prodit, nonnunquam non nisi
 „postridie, biduove praeterlapso. Materia primo te-
 „nuis excernitur, ac facile ad tempus aliquod rejici-
 „tur, aegro interim multa lintea eadem nocte conspur-
 „cante. Neque sane multum cedit Ptyalismus hic al-
 „teri illi, qui ope mercurii excitatur, nisi quod non
 „ita male oleat. Die autem fere undecimo saliva vis-
 „cidior jam facta, aegerrime excreatur: siticulosus est
 „aegrotus, tuscit subinde inter bibendum, et potus
 „per nares revertitur, atque ab hoc die cessat ut plu-
 „rimum salivatio; licet aliquando (rarius tamen id ac-
 „cidit) ubi per diem unum alterumve omnino cessave-
 „rit, tandem postliminio recrudescat” (2).

Imo notante egregio SYDENHAMO pro genio Epide-
 miae variolosae benigno magis, aut violentiori, haec
 salivatio major aut minor, scribit enim Auctor de vario-
 lis ipsi anomalis dictis, quae regnarunt anno praecedentis
 saeculi LXX. LXXI. et LXXII. „febris et symptomata
 „alia omnia, quae vel praecedebant, vel comita-
 „bantur hoc variolarum genus, graviora erant, quam
 „in praecedente, et inflammationis adhuc majoris ma-
 „nifesta

(2) L. G. p. 138.

„ festa dabant indicia. Aegri ad salivationem erant
„ procliviores” (a).

§. VIII. In determinanda hujus salivationis indole et statuenda causa eam in febre variolosa excitante non eandem foveant Auctores opinionem. Nonnulli eam evacuationem non tantum utilem et proficuum, sed criticam vere declarant, dum alii, ejus evacuationis usum agnoscentes, symptomaticum hoc dicunt phaenomenon. Magnus SYDENHAM, hic suum suspendit judicium: memoratis namque binis symptomatibus in variolis confluentibus exstantioribus, salivatione scilicet in adultis, diarrhaea in infantibus, pergit „ utrum providens Natura has evacuationes idcirco substituerit, quod in „ pusillo hoc, ac humili, genere materia morbifica ita „ penitus nequeat exterminari, ac in pustulis istis majoribus ac magis fastigiatis, generis *discreti*, nullus definitio, cum historiam tantum scribam, non solvam pro- „ blemata. Hoc certo scio, quod non solum variolas „ *confluentes* plerumque comitantur, sed etiam quod quae „ per illas fit evacuatio, tam est necessaria quam sunt, „ vel pustulae, vel faciei et manuum intumescen- „ tia” (b).

Egregie

(b) Pag. 138.

Egregie illam quaestionem pertractarunt ante aliquot annos H. BEZOET Medicus Roterodamensis meritisimus, et A. YPEY tunc Botan. et Med. Leg. Lector eximius in Academia Franequerana, in responsis ad quaestionem a Societate Amstelodamensi Servandis Civibus dicata propositam (c).

§. IX. Varii in ea versantur opinione Naturam majori impetu humores versus caput determinare quia cutis in febre variolosa, pustulis occupata, haud possideat requisitam ad perspirationis materiem eliminandam dispositionem. Revera, qui perpendit expellendae materiae copiam, quae retenta materia perspirabili in corpore remanet, quaeque ex calculo SANCTORII $\frac{5}{8}$ aliarum excretionum aequat, adeoque major longe est alvi et urinae excretionibus simul: qui perpendit stupendum Naturae humanae nisum in conservando excretionum aequilibrio, quo fit, ut diminuta aut suppressa una excretionem, alia intendatur (conf. §. V. N. V.) non absconam adeo declarabit assignatam salivationis causam, imo alia facile et speciosa ad exornandam illam theoriam, atque commendandam addi argumenta possent: at vero stare illam opinionem non posse, suppressamque perspirationem salivationis causam

(c) Vid. *Handelingen van het Geneeskundig Genootschap, onder de zins*
deel.

fam veram non esse satis inde liquet, quod uberior illa excretio aliquando in eruptionis stadio jam observatur, ubi Natura occupata est in materia acri fortiori conamine ad cutim devehenda, ubi igitur pororum cutaneorum obstructio nondum adest (d): accedit nonnullorum observatio, qua constitit, in discretis variolis, et in aegrotis exiguo admodum pustularum numero vexatis, ubi igitur perspiratio non penitus, aut saltem non multum fuit suppressa, salivationem tamen adfuisse.

§. X. Imo ipse SYDENHAM experientia didicit in febre continua annorum CXCICLXVII. — LXIX. quae durante variolosa constitutione dominabatur, quaeque omnia consueta variolosae febris symptomata monstrabat, excepta pustularum variolosarum eruptione, qua de causa *febrim* illam vocavit *variolosam sine variolis*, salivationem se manifestasse. „Ptyalismus” habet „quandoque satis copiosus sub finem accedebat, si nempe „nulla insignior praecederat evacuatio, atque aegro „julpia refrigerantia imperata fuerant, quo quidem si „neque evacuationibus, neque usu Medicamentorum „calidiorum fuerit interceptus, Morbus ultra spem om- „nem

(d) Conf. quae superius e SYDENHAMO adduxi et T. LOEB *on the small pox*, p. 8.

„nem fugam sibi quaerebat” (e). In ulteriore hujus
 descriptione pergens idem Auctor addit. „Propensio
 „itidem quam habebat hicce morbus, quoties in flam-
 „mam vehementiorem adfurgeret, se per *Ptyalismum* ex-
 „onerandi, eadem prorsus erat atque in variolis hisce,
 „quoties scilicet confluebant” (f).

§. XI. Denique de momento hujus salivationis in
 judicando hoc morbo febrili addit egregius Naturae ob-
 servator, „jam vero, ut supra monuimus, Febris hu-
 „jus solutio, ut etiam variolarum (quae soror ejus ger-
 „mana merito audiunt) per *salivationem* non raro fiebat;
 „quae quidem numquam non salutaris fuit, ita ut ea-
 „dem liberalius procedente, tam maculas revera pur-
 „pureas, quam Febrim ipsam evanescere oculis vidi
 „meis” (g).

§. XII. Egregiis hisce SYDENHAMI observatis ad
 illustrandam salivationis indolem tam pulchre facientibus
 adjungere liceat, salivationis spontaneae epidemice gras-
 santis observationem JOH. CASP. WESPHALI. Anno
 scili-

(e) Sect. III. C. III. p. 163.

(f) L. C. pag. 164.

(g) L. C. pag. 169.

scilicet cxi. Delitii ejusque in circulo et vicinia non solum, sed et pluribus aliis in Regionibus ac locis epidemice gresfabatur dicta salivatio, quae una cum variolis confluentibus ibidem locorum grassari primo ineunte vere incipiebat; hac saepe duas et tres, imo quatuor personas laborantes vel una domus habebat, quae omnes iisdem plane in principio et incremento symptomatis maxime dolorosis affligebantur, quae in salivatione mercuriali alias obviae esse solent: tumore nempe genarum, linguae, gingivarum, faucium, parotidum, etc. in statu vero (evacuatis succis viscidis et glutinosis, interdum etiam primo in principio cruentis) succi apparebant tennes et aquosi, dictis oris et faucium symptomatis pedententim remittentibus. Hic morbus tam juvenes, quam adultos aggressus est; imo, quod mirandum, non solum homines, sed et multas feles et canes Deletii et quibusdam in pagis salivatione correptas ipse WESTPHALUS partim in propria fele vidit, partim ab aliis audivit; qui in symptomatum horum causas paulo intimius inquirens occasionalem causam Miasmati varioloso, et quidem variolarum confluentium adscribit; hae enim tunc temporis saepe cum salivatione, vel dolorosa, vel non dolorosa conjunctae grassabantur. Quibus autem variolae perpercerunt, vel, uti clarius explicat dictus Auctor, quorum materia variolosa viscida per poros cutis exitum non invenit, illi aut per tumorem glandularum

rum in inguinibus, aut subsequenter salivationem, servati sunt (g).

§. XIII. Liqueat igitur ex allatis observationibus aliam subesse hic causam, qua fiat, ut singulari impetu organa salivalia petat materia morbofa, perque illas vias exitum sibi quaerat: liqueat salivationem a cutis poris imperviis, et suppressa perspiratione nullo modo posse revocari.

Est ne igitur haec salivatio derivanda ab ipsis pustulis variolosis, faciem atque fauces occupantibus, cumque acriter stimulantibus? Sic voluit Cl. P. CAMPER. Hic auctor postquam proposuerat nonnulla de pustularum in facie artubusque numero aut quantitate majore vel minore, et hinc derivanda memoratarum partium intumescencia majore minoreve, sic prosequitur. „ In-
 „ tumescentiae hae igitur non sunt criticae, sed verae
 „ sequelae inflammationis cutis, et panniculi adiposi; si
 „ vero critica esset haec inflatio, eo major foret intumescencia,
 „ quo minor copia pustularum, quod tamen
 „ nequiquam obtinet: nam ubi paucae vel nullae pustulae,
 „ ibi nulla intumescencia. Idem de salivatione
 „ censendum. Salivatio ex duplici causa oritur, ex
 „ universali capitis intumescencia, unde parotides, sub-
 „ maxil-

(g) Eph. N. C. Cent. 1. et 2. Obs. CXXXVII.] Conf. M. SCHURT-
 eii Sialologia Cap. III. §. IX. p. 73.

„ maxillares et sublinguales glandulae simul afficiuntur,
 „ ubi confluunt pustularum abscessus; atque ex pustulis,
 „ ipsis, fauces, linguam, palatum, ac gingivas ob-
 „ fidentibus, in quo ultimo casu salivatio admodum sa-
 „ lutaris est: nam salivae copiosioris affluxu emolliun-
 „ tur hae partes, aequae atque oculus inflammatione cor-
 „ reptus lachrymis” (b).

Certe, videntur Practicorum observata docere reve-
 ra materiem variolosam sanguini inhaerentem, et eruptorio
 conamine eliminandam praepriis suam exserere ferociam:
 in capite et quidem facie, asserit enim CAMPERUS va-
 riolas naturales maxime in facie, in manibus, et con-
 tra omnem Theoriam, in iis partibus corporis humani
 multiplicari, quae magis caeteris aëri expositae sunt,
 adeo ut confluant frequenter in facie, licet super reli-
 quum corpus satis sint discretae. Exhibita porro com-
 putatione, a XL variolis decumbentibus, desumpta, osten-
 dit unam quintam variolarum in toto corpore praesentium
 quantitatem, sola in facie apparere (i).

§. XIV. Anne vero inde tuto possit concludi, er-
 go symptomatica et faciei intumescencia, et salivatio; de-
 pendet haec unice a pustulis faciem occupantibus, fau-
 ces stimulantibus, non ego affirmaverim.

Quae

(h) De Emolument. Infection. pag. 19. et 20.

(i) L. C. §. II.

Quae adduxit Doctisf. BEZOET (k) argumenta, me iudice ostendunt Cl. CAMPERUM nimis praecipitanter suam formasse conclusionem.

I. Quae faciem artusque occupat intumescencia oedematosa magis, quam quae inflammationem concomitari solet: egregie illud in palpebris apparet, quae aliquando, imo plerumque, inflatae, licet vel unica, vel nulla pustula variolosa eas occupaverit.

II. Intumescenciam illam nullo modo haberi posse pro sequela inflammationis, vel inde constat, quod maxima non sit, variolis ex inflammatione maxime stimulantibus aut dolentibus, sed potius tum summo adfit gradu ubi maturescere incipiunt pustulae.

III. Intumescencia haec in variolis est topica, faciem tantum occupat aut artus, licet universa corporis superficies irritetur: si igitur haec irritatio genuina et vera foret intumescenciae causa, cur non totus quantus intumesceret aegrotus?

IV. Non procedit, aut omni exceptione majus est CAMPERI assertum, intumescenciam illam numero pustularum, faciem occupantium, esse proportionatam: asserit Doctisf. BEZOET, se vidisse intumescenciam faciei atque manuum valde magnam, licet pustularum variolosarum numerus esset admodum exiguus.

V. Intu-

(k) L. C. §. 13.

V. Intumescencia memoratarum partium saepius non est constans, cito, atque ex improvise subsident aliquando distentae partes, subito evanida paulo ante intumescencia redit, quod phaenomenon nullo modo explanationem admitteret, si a pustulis irritantibus unice deberet revocari.

§. XV. Dum igitur solis luce clarius appareat, neque a praepedita cutis functione, neque ab irritatione, a pustulis variolosis caput, faucesque praeprimis occupantibus derivanda, revocari posse salivationem, quae pari passu cum faciei intumescencia et inflatione ambulat, et cum quo symptomate communem habet originem, liquet: aliam quandam hic subesse causam de cuius indole jam breviter nostra proponemus cogitata.

§. XVI. Ubi miasma variolosum in corpore praedisposito singularem illum fuscitaverit motum sanguinis intestinum, simulque vigeat vitae, vel partium irritabilium violentior actio inde profluens, adsunt profecto variae conditiones quae, uti indicavi (§. V.), secretionis et excretionis negotium intendere possunt, imo haud deficiunt etiam ejusmodi conditiones, quae salivae praeparationem et excretionem uberiores reddere valent (§. VI.), illae tamen omnes sufficere mihi nequaquam videntur ad genuinam salivationis in morbo varioloso causam constituendam. Videor mihi hic in variolosa febre videre specialem

sem aliquam Naturae activae, suique adjutricis operationem, qua haec salivae praesertim viâ expellere tentat indomabilem, et sibi inimicam materiam; criticum aliquod conamen, quo debite procedente semper levantur aerumnae aegrotantis, mitigetur morbi vis atque ferocia, quo aliquando solo sufficienter depuretur humorum massa.

Hanc si agnoscamus salivationis indolem plurima certe enodari possunt, et intelligi phaenomena, quae alias haud facile explicari possunt: sic liquet: cur in summo vitae discrimine constituti variolis decumbentes ob violentam nimis faucium intumescentiâ, et pectoris oppressionem mirum in modum levantur, imo uti SYDENHAMUS dicit, ex orci faucibus eripiantur, manifestante sese artuum aut superiorum aut inferiorum intumescencia.

Hinc summus BOERHAVIUS (1). „ Quo idem „ (loquitur de spatio inter pustulas) plus pallet, vel „ fuscum evadit, eo pejus: angina sequitur lethalis, „ aut peripneumonia; *nisi salivatio liquida, vel ingens* „ *tumor manuum, pedumve accenderit.*

Cur variolis confluentibus tentati aegrotantes semper levantur ubi se manifestaverit salivatio, eaque legitime procedat, et e contrario, si, vel haud sufficiens sit illa eliminatio, vel intempestive penitus sufflaminata violentioribus ventur-

(1) Aph. 1398. et STOLL § 542.

xentur symptomatibus atque in summum vitae discrimen conjiciantur aegrotantes (m). Hinc justa est BAGLIVII regula practica, *qui in variolis maxime sputant, raro moriuntur* (n), et intelligitur ratio usus salivationis in penitus devincendis variolosae febris reliquiis, uti notavit LUDWIGIUS (o).

Cur salivationis locum aliquando occupent, aliae evacuationes, et satis quidem constanter, uti superius e SYDENHAMO proposui, diarrhaea in infantibus loco salivationis adfit.

Cur salivatio aliquando incipiat una cum variolarum eruptione antequam supponi possit vasa cutanea esse infarcta, uti vidimus supra, quod et aliquoties se in praxi observasse testatur SWIETENIUS (p).

Cur, notantibus SYDENHAMO, SWIETENIO, aliisque, aegrum etiam paucissimis notatum pustulis ptyalismus haud secus atque in confluentibus exercent.

Cur denique in febre variolosa sine variolis SYDENHAMO dicta, observata fuerit salivatio: et qui explicanda salivatio spontanea epidemica J. C. WESTPHALI, superius a me commemorata.

§. XVII.

(m) V. SWIETEN, T. V. p. 97.

(n) Op. Omn. p. 62.

(o) Disf. de crisib. variolar. accessor. p. 22.

(p) Comm. Tom. V. p. 97.

§. XVII. Quae vero jam sit ratio cur hanc sibi in adultis feligat Natura criticam viam non facile quis explicabit. Naturae gressus in plerisque morbis observare, sed non semper explicare potest Medicus, non semper nobis determinatorum moliminum sufficientem rationem cognoscere licet. Merito de hacce quaestione agens egregius magni BOERHAVII commentator, scribit, constat praeticorum observatis, Naturam diversas affectare vias in morbi materia eliminanda de corpore, vel in totum, vel pro parte. Quid igitur obstat quominus concludamus cum SWIETENIO (q), „ videtur ergo salivatio, et tumor maxillae, num pedumque, numerari debere inter salutaria haec „ Naturae morbo medentis conamina, quorum observatio „ magnum usum habet in praxi, licet a priori non possit „ dari liquida ratio, quare potius per haec quam alia corporis loca expellantur illa, quae relictia nocerent.”

En! quae de salivatione in Variolis ejusque indole atque causa breviter proponenda habebam. Antequam nunc manum de tabula tollam jubet grati animi sensus, ut Vobis Clarissimi in Academia Batava, quae Harder-vici floret, Profesores! R. FORSTEN, P. J. VAN MAANEN, et B. NIEUHOFF, quibus mihi licuit Praeceptoribus uti, debitas pro fideli institutione persolvam gra-

(q) Tom. V. p. 97.

30 DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS.

grates: Manes itidem hac occasione veneror Cl. c. p. SCHACHT, in Botanicis, Chemicis et Hist. Naturali praeceptoris dignissimi, mihi, meisque commilitonibus, Academiae praematura proh dolor! morte erepti.

Quamdiu vivam ego Viri Optimi! cum genuino HIPPOCRATIS discipulo Praeceptores, qui me Artem adocuerunt, Parentum loco habituros promitto.

T A N T U M.



THE

T H E S E S.

I. *Cerebri subsidencia, quae expirationi, et elevatio, quae inspirationi respondet, sinuum et vasorum encephali depletioni et repletioni trebui debent.*

II. *Minime hodiernis, imprimis Germanicis medicis assentimur, qui omnem humoribus vitalitatem denegant, omniumque morborum fontem in solidis tantum quaerendum esse defendunt.*

III. *Nulla actio nostro in corpore vivo obtinet, quae pure mechanica aut chemica dici poterit; sed semper quaecunque hic obtinet actio consideranda est tanquam vi vitali modificata, atque adeo tenenda pro effectu e vi vitali cum viribus mechanicis, et chemicis combinata profluente.*

IV. *Hinc, si Chemia, quae docet qua ratione vires chemicae animalisatae, sive vi vitali modificatae agant, ideoque Animalis dicta probe distinguatur a Chemia illa, quae vires chemicas in corporibus mortuis agentes docet; maxima tunc cum utilitate Chemia quoque in plerisque tam Physiologiae et Pathologiae, quam Methodi medendi partibus ad multa phaenomena explicanda intervenire potest.*

V. *In aequilibrio tam solidorum et fluidorum, quam virium vitalium omnis sanitatis, uti in eorum aequilibrio destructo morborum idea posita esse videtur.*

VI. *Dari in systemate Lymphatico absorbente arteriolas ita dictas lymphaticas, ipsi hujus systematis Oeconomiae repugnare videtur.*

VII. *Similis aëris atmosphaerici decompositio fieri videtur in cute quam in pulmonibus.*

VIII.

T H E S I S.

VIII. *Homo, inter omnia mammalia, habita ratione ipsius-
ardi incrementi, longae infantiae, seraeque pubertatis, maxime
longaevidetur animal; vix alia igitur magis injusta est qui-
ritationum sophilorum de miseria vitae humanae, eâ, quam, de
brevitate ejus occinere solent.*

IX. *Damnanda est praxis, quae adeo mollem medicinam fa-
cit, ut nunquam Emeticum, ut ut indicatissimum propinare au-
deat, sed Eccoproticis, veterumque minorativis et per Epicrasin
datis, morbum unico Emetico jugulandum, persaepe cum pericu-
lo aegri non exiguo in longum trahit.*

X. *Optima saepe est medicina, in morbis curandis medicinam
non facere.*

XI. *Quamvis placentae a partu expulsio solius non perpetua
naturae operi sit relinquenda, detrahendo tamen longe saepius
peccari credo, quam fieret, si illa expulsio naturae semper relin-
quatur,*

XII. *Vulnerum lethalium divisio in Medicina legali commoda
est in simpliciter (vel absolute) et in comparate (hypothetice) le-
thalia, quae postrema optime iterum dispeSCI possunt in ea, quae
per se, id est sibi relicta, et quae per accidens lethalia sunt.*

XIII. *Febris Puerperalis est omnis febris, quae orta occasione
puerperii, ab Epidemica constitutione regnante diversimode ma-
nifestatur,*

XIV. *Imminutio vis emetici Tartari Emetici, in ejus combi-
natione cum cortice peruviano, decompositioni Tartari Emetici
Acido gallaceo, in Cortice existente, tribuenda est.*

XV. *Vesicatoria in febribus putridis et saburralibus egregii
sunt usus.*